

nia autem simplicium, coniuncto-
rumque sunt hæc quinque quasi lumi-
na, dilucidum, breue, probabile, illu-
stre, suaue. Dilucidum fit usitatis uer-
bis, proprijs, dispositis, aut circum-
scriptione conclusa, aut intermissio-
ne, aut concisione uerborum. Ob-
scurum autem, aut longitudine, aut
contractione orationis, aut ambigui-
tate, aut inflexione, atque immutatio-
ne uerborum. Breuitas autem confi-
citur simplicibus uerbis, semel una-
quaque re dicenda, nulli rei, nisi ut di-
lucide dicas, seruiendo. Probabile au-
tem genus est orationis, si non nimis
est comtum, atque expolitum, si est au-
toritas, & pondus in uerbis, si senten-
tiæ, uel graues, uel aptæ opinionibus
hominum, & moribus. Illustris au-
tem oratio est, si & uerba grauitate
delecta ponuntur, ac translata, & su-
perlata, & ad nomen adiuncta, & du-
plicata, & idem significantia, atque ab
ipsa actione, atque imitatione rerum
non abhorrentia. Est enim hæc pars

B 4

oratio-